DE

SINGULARI FUNGI MEDULLARIS CASU.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICO-CHIRURGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITERARIA

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XXX. MENS. SEPTEMBRIS A. MDCCCXXXV

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

MAXIMILIANUS LAURENTIUS GRAEFF

RHENANO-BORUSSUS.

OPPONENTIBUS:

J. JACOBI, MED. ET CHIR. DR.

E. DE POCHHAMMER, MED. ET CHIR. DD.

ALFR. EICHELBERG, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI,

TYPIS FRIEDLAENDERIANIS.

PATRI DILECTISSIMO

JOANNI GUILELMO GRAEFF

PIO GRATOQUE ANIMO VENERANDO

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

EX INTIMA PIETATE

D. D. D.

AUCTOR.

LECTORI C. S.

Quamquam bene scio morborum historias a paucissimis tantum legi, partim quia res saepe centies descriptas continent, partim quoque hae ipsae etiamsi novi aliquid in iis enarratum sit, et acuminis mentis et diligentiae et assiduitatis in observandis rebus indigent: equidem tamen tibi historiam morbi tradere volui, quam medicinae et chirurgiae plus utilitatis allaturam esse putavi, quam si libellum conscripsissem sententiis aliorum auctorum plenum et compilatum. A veritate non discessi; permulti in nostro Caritatis nosodochio aegrotam observaverunt; permulti illam videre cachecticam, cum corpus macie extabesceret; admirati sunt puellam denuo efflorescentem, obstupefacti sunt, cum fere subito quem non expectaverint, morbus tristem sumserit exitum. — Non superba verba feci; quae videbam, quae collegae mei carissimi observabant mihique communica-

bant, quae post femur amputatum et post mortem invenimus, tibi, amice lector, nunc tradam. —

MORBI HISTORIA.

C: R:, puella acu quaestum faciens, quatuordecim annos nata, die undevigesimo mensis Octobris a. 1834 in nosodochium Caritatis recepta est. Corpore, in quo praedominabat systema venosum, praedita, aetate puerili exanthemate capitis laboraverat, quod etiamsi saepius evanuerit, semper denuo efflorescebat. Otorrhoea etiam auris dextri vix dubitationem reliquit, quin originem duxerit a dyscrasia scrophulosa, de quorum decursu perpauca tantum referre potuit. Omnino vero diathesis scrophulosa adhuc tam ex architectura corporis tenera, quam inprimis e cute venis perlucentibus praedita cognoscenda erat. Recentissimo tempore aegrota optima valetudine gaudebat, donec ante annum tumor non dolens ad malleolum externum pedis sinistri ortus est, cujus causae non manifestae erant, qui vero sine ulla curatione brevi tempore evanuit. Quomodo se habuerit hicce tumor, inscia erat. Cum ante octo hebdomades aliquem e sella labentem frustra retinere vellet, atque ille in pedem ejus sinistrum incideret, subito dolores in regione surae percepit, qui vero, cum aegro-

tam non valde infestarent, suspicionem fractae fibulae refutarunt. Paulo post tumor exortus sensim increvit. Tribus hebdomadibus praeteritis, et dolores aucti sunt et cutis tumorem obtegens inflammata est; nunc tumescentia supra totum crus extendi coepit et hanc formam praebuit.

Totum crus sinistrum tenuit tumor splendens usque ad malleolos extensus, quo loco oedema apparuit. Elasticus fuit, hic sensum fluctuationis praebuit, illic prementi digito restitit. Tibia nullo modo affecta erat, fibula vero tantum in utroque fine libera. Cutis tumorem obtegens valde tensa et splendens, paullisper tantum rubra, venis dilatatis obsita. Doloribus aegrota non affecta erat, nisi graviorem pressionem adhibueris. Quamvis totus corporis habitus cachexiam quandam ostenderet, tamen bene se habuit, si palpitationes quasdam cordis excipere velis. Hucusque nullo alio medicamine quam involutionibus lanae arboreae usa erat. Ad tollendam dyscrasiam vero malo suppositam, decocti Zittmanni fortioris et mitioris āā uncias sex quovis die per hebdomades septem bibit. Praeterea vero medici, viginti hirudinibus circa tumorem positis, totum crus fomentis aquae saturninae involvi jusserunt. Cum vero haec curatio usque ad initium mensis Decembris continuata malum nullo modo coërcere potuisset, decoctum Zittmanni sumere desiit. — Fomenta aquae

saturninae nunc sola adhibita non impediverunt, quominus dolores saepius quam antea aegrotam cruciarent, quofacto hirudines iterum applicatae sunt. Dolores quidem minuti, attamen ambitus cruris increvit et locus quidam supra malleolum externum magis magisque fluctuationis sensum praebuit. Medicos adhuc spes tenuit inunctionibus unguenti mercurii cinerei auctore Rustio malum coërceri posse. Itaque drachma dimidia unguenti in crura infricta est. Jam initio curae febris continua remittens accessit, cujus natura statim non plane cognoscenda erat, quae vero saturatione kali carbonici cum aqua laurocerasi conjuncta facile coërcita est. Post quintam infrictionem prodromi salivationis talem mercurii usum non amplius permiserunt. Repetita hirudinum applicatione, inunctionibus minoris unguenti cinerei quantitatis, fomentis ex aqua saturnina dolores et calorem in crure minuere contigit. Mense Januario aegrota minus bene se habere coepit: febris enim vespertino tempore intravit, quae sudoribus nocturnis finita est. Involutiones membri aegri et epithemata frigida dolores maxime levavere, quibus remotis aegrota doloribus crudelissimis cruciata est. Sub finem mensis Januarii etiam crescere visus est tumor, praecipue ad latus cruris externum, cum pes magis magisque ad internum converteretur. — Duos pollices supra malleolum externum sub cute jam tres prominentiae, brassicae botryitidi similes, molles, tactu

distinguendae erant, quae peculiarem illum fluctuationis sensum praebuerunt. Hic quoque maximis doloribus se affici et pressionem pati non posse, aegrota dixit. Tres fere pollices supra illum locum maximus apparuit varix, qui semper perrumpere minitatus est, cum cutis in eo fere jam tenerrima et pellucida esset. Praeter dolores tam in toto crure, quam prae ceteris supra malleolum externum, aegrota accusavit dolores in decursu nervi ischiadici. Omnia illa incommoda jam circa sextam horam postmeridianam creverunt; febris simul continua remittens exasperata est, quae speciem hecticae adhuc quidem inflammatoriae indies magis exhibuit.

Facillime igitur primum praesagiri poterat, hecticam semper auctum iri, cum pseudorganisationi finem imponere non contingeret, vires semper decreturas esse et perturbationem systematis nervosi majorem fore. Tum vero ne cutis pseudorganismo enormiter tensa rumperetur, quotidie timendum erat, quod certe haemorrhagiam letalem secum duxisset.

Itaque ne jactura virium aut haemorrhagia subita aut ulceratione lenta provocata mortem subiret aegrota, amputatio ultimum remedium esse putaverunt, quae jam tempore pristino non nunquam felici eventu facta est; contra vero rupto tumore spem fere deleri experientia docuit.

Die quarto mensis Februarii membrum binis circumcisionibus prope supra genu amputatum est. Duo tantum vasa ligatura clauderentur necesse fuit, neque aliquid memoratu dignum contigit.

DISQUISITIO MEMBRI AMPUTATI ANATOMICA.

In arteriam cruralem injecta erat cera rubra. Disquisitio anatomica os femoris cum musculis ei annexis incolume et vasa, nervos atque telam cellulosam penitus intacta obtulit. Eodem modo articulatio genu omni abnormitate caruit. Cutis in crure usque ad mediam ejus partem incolumis, sufficiente adipis quantitate substrata ejusque tela cellulosa naturali contractilitate praedita erat.

Pedis articulationem versus cutis tela cellulosa et adipi substrato et corio similis fuit. Fascia communis musculorum surae in superiore cruris parte normalis neque nimis densa apparuit. In medio vero crure ad externam ejus partem aliquid densior fere cartilaginea et

inaequalis tangenti digito fuit. Latus ad musculos vergens, colorem venosum ex rubro subnigrum ea parte praebuit, qua cutis tabescentia supra memorata laboravit. Tres pollices supra malleolum externum, ubi fungus per aperturam thaleri fere magnitudinem adaequantem tres protuberantias jam emiserat, fascia cruris defuit. Qui fungus satis mollis, venose coloratus fuit; intus parvas quidem cavitates continuit, sed structuram plane cellulosam non prae se tulit, quare haematodes optimo jure dici potui. Tibiam versus et in latere cruris interno fascia normalis, sed quod non mirandum, justo magis tensa.

Gastrocnemii musculi eximie extensi et tenues; quo factum erat, ut fibrae eorum singulae distinguendae essent et maxime extenuatae viderentur: eodem modo pars carnosa musculi plantaris se habuit, cum pars tendinosa profundioribus musculis incumbens fasciam praebuit rarefactam et tumidam, quae etiam parvis fungis coloris coerulei, sanguinis copia et septis tenuibus haematodum indolem prae se ferentibus obtecta erat.

Partibus illis remotis nervus peronaeus justo crassior apparuit, cum neurilema resolutum ejusque superficies interna quasi adipe obtecta videretur: partes fasciae cruris intermusculares hic jam plane degene-

ratae, inprimis vero septum inter musculos surae externos et posteriores in cartilaginem paene conversum.

Reliqua massa degenerata ab utroque latere usque ad fibulam incisa fluidi lymphatici, odore medullae cerebri, colore e fusco cinereo, efusa massa injecta rubra satis tincti, fila quidem non trahentis, satis tamen spissi et emulsioni similis magna copia effluit. Attamen fungus minime collapsus est, sed priorem magnitudinem et circumferentiam omnino obtinuit, cum secundum fungi medullaris naturam, contractilitate telae locularis fere cartilaginea arceretur, ne collabi posset. Ceterum in incisionibus supra dictis fibrae organicae omnino fere jam evanuerant, ut stratum musculare subrubrum quasi corticem tenuem fungi constitueret. Praeterea neque tela cellulosa, neque nervi nec vasa cognosci poterant. Utrum vero fungus omnes illas partes repulerit et pressione resorpserit, an fibra organica modo nobis ignoto in fungi formam conversa sit: dijudicare non audeo. Convertamus nunc ad majorem fungum sectori ellipseos similem, cujus axis fibula aegra fuit. Fibula sive primarie sive secundarie aegrotaverit justo majorem ambitum praebuit, praecipue ejus capitulum valde tumuit; malleolus quasi adhuc epiphysis annulo cartilagineo cum corpore fibulae conjunctus, paulo crassior, ceterum vero normalis fuit; dum in hac regione etiam partes molles morbo non

correptae erant. Fibula omnino ossis longi adspectum adhuc obtinuerat, quoad tactum vero partim ossea, partim magis carnosa visa est, quod inaequali, infra describendo, fungi annexu effectum est. Dissectione facta, medulla ossis extincta visa est, parte digiti magnitudinis tres circa pollices infra capitulum excepta. Destructio ossis a centro incipiens ad peripheriam processerat et ad indolem primae formationis redire inceperat, cum ad peripheriam praecipue strata plane distinguerentur. Periosteum omnino laxius os circumdedit, ut multis in locis os revera in periosteo ut in sacco suspensum videretur. Periosteum ipsum aliquanto densius, praeter naturam injectum apparuit, quod inflammatione chronica effectum erat; ceterum vero ipsa nullo modo in fungum mutata, inde mutationi fungosae fibra tendinea facillime resistere consequi videtur, singulis tamen locis periosteum evanuerat.

Ossi ipsi massa fungosa duobus locis insedit, primo enim deposita erat tres pollices infra capitulum, ubi quoque medulla ossis incolumis erat. Hic stratis osseis ipsis tela locularis fungi insedit partim orbiculis ejusdem centri, partim septis et septulis irregularibus. Quibus loculorum septis reliqua tela muscularis insedit, ita ut uno tenore os radiaret in fungi loculum aliquem, qui iterum in musculi fasciculos transiit. Loculi ipsi supra descriptum fluidum continuerunt; parietes eorum

solidi, tendineo-cartilaginei, colore albo fuere. Hic vero fungus minus fluidi continuit, sed maxima parte materie solida constituta erat, ut fortasse recentissima omnium, quae aderant, formationum haberi posset.

Deorsum eodem loco, ubi cutis tenerrima, et proxime sub cute tres protuberantiae fungosae ad perrumpendum paratae erant, fibula structuram praebuit maxime alienatam, resolutam, tactu mollem et rarissimos tantum radios ad partes externas emisit. Hic locus semper quoque maxime doluit, et fluctuationem maxime simulavit. Hic maxima supra descripti fluidi copia evacuata erat, quae admixto sanguine satis aucta erat. Qua emissa ossi innisa erat capsula, ovi gallinacei fere magnitudinis, quae tantum in parietibus rudimenta quaedam structurae locularis proposuit tenuia, laxa, in quae passim parci ossium radii transierunt. Capsula satis solidam structuram et tendinosam exhibuit; in superficie interna coloris coerulei, venosi fuit et septis expleta erat maxime laxis et tenuibus, ut tela medullaris in tertio stadio resolutionis esse, ceterum vero fungi haematodis indolem prae se ferre et omnino excavationibus tuberculosis similis esse videretur.

Quod denique magnum cuti proximum fungum attinet, qui in regione surae omnem fibram organicam repulerat, solidus, pressioni resistens, maxime locularis, loculos ipsos adhuc cartilagineos habuit, quamvis magis

cinereus illo fungo fuit, qui sub capitulo proxime situs erat. Hic quoque e parvis cavis sat magna quantitate emanavit, jam fluidum illud colore ex albo cinereo, ita ut hic fungus medullaris in stadio altero resolutionis jam inceptae esse videretur. Tibia sicuti articulatio pedis sine vitio erant.

Operationem praeter expectationem aegra bene tulit, et contra febriculam accepit saturationem kali carbonici cum aqua cerasorum nigrorum. Tres fere horas post operationem venosa intravit haemorrhagia, quae coagulis remotis sponte substitit. Tum vero vinctura ad primam intentionem assequendam applicata est, epithemata frigida superimposita sunt: vespere febri adaucta venaesectione unciarum octo opus erat. Cum dolores non adessent, prima vinctura usque ad quartum diem intacta remansit, quo emplastro praecaute remoto prima intentio in posteriore vulneris angulo omnino absoluta, in anteriore maxima parte effecta erat, in medio vero vulnere non contigerat, quia fila ligantia ex hac vulneris parte propenderunt. Hoc quoque loco suppuratio magna fuit, unde pus femur versus se infiltraturum esse putabatur, quod ut impediretur totius femoris involutio instituta est. Interea totus organismus parum illa magna operatione affectus erat, ita ut traumatica febris vix animadverteretur: pulsus semper modice frequens et fortis, ciborum appetentia bona, al-

vus vero tardior, quam clysmatibus solvere saepius necesse esset; quaque fere nocte profunda quies; aegra de nihilo fere conquerebatur. Dum e medio vulnere pus semper effluit, ejus anguli sensim cicatrice obducti sunt.

Octo diebus post operationem factam vasorum ligatura soluta est, quare nunc accuratiori perscrutationi nil obstitit: ossis particula quaedam emortua in profundo vulnere animadversa est, quae cum partes vicinas irritaret, boni puris formationem impedivit. Pus effluens serosum erat, et granulatio laxa. Nonnullis diebus post in ambitu vulneris de doloribus, aucta rubedine et calore aegrota conquesta est, ad quos leniendos et hirudines applicatae et fomentationes tepidae ex aqua saturnina impositae sunt. Ut vero granulatio laxa melior redderetur, pluries decoctum chinae cum tinctura myrrhae in vulnus injectum est. Haec remedia, quae non satis valida esse videbantur, postea vino camphorato mutata sunt, progredienti vero cicatrici lapis infernalis subvenit. Quod medici tentaverant, assecuti sunt, pus melius et granulationem bonam; quae instantem vulneris cicatrisationem indicare visa sunt. Cum aegrota semper adhuc obstructione alvi laboraret; accepit:

Acidi tartarici scrupulum i
Aquae cerasorum nigr. Unc. vi.
Electuar lenit.
Sacchari albi āā Unc. i

Omni biborio cochlear majus sumendum.

Quamvis primis diebus mensis Martii in profunda fistula, quae ad os tendebat, granulatio exoriri videretur, ita ut totius vulneris sanatio brevi tempore expectanda esset, attamen res in posterum non tam bene procedebat. Specillo enim ossis emortui pars sentiebatur, quae pisi magnitudini adaequabat. Quae ut amoveretur et cum fistulae apertura se glutinare videretur, spongia cerata introducebatur, qua satis dilataretur. Sed mox particula ossis emortua margines callosos, excrescentias fungosas et pus album et dissolutum producebat. Sub finem mensis Aprilis tandem particula ossis removeri poterat. Nunc vero novae excrescentiae fungosae aliaque supra dicta symptomata os in profundo ulcere mortificatum adesse demonstrabant, quo iterum remoto, demum finiente mense Junio ulcus cicatrice obducebatur. Aegrota omni hoc tempore bene valere continuarat et puella antea pallida, corpore exiguo et constitutione cachectica nunc ruborem genarum et ubertatem corporis ostentabat, quo prius nunquam fruita erat.

Primo Julii die, quo cicatrix fere absoluta erat, aegrota conquerebatur de dyspnoea et irritationem ad tussiendum et anxietatem sentiebat. Respiratio brevis et frequens, palpitationes cordis super magnam pectoris partem extensae, pulsus excitatus et frequens. Venaesectio unciarum sex aegrotam aliquid levabat; simul

vero fonticulus in brachio ponebatur et mixtura praescribebatur talis:

Rcp. Infus Digital: (gr. v) Unc. vi
Nitri depurati
Aq. laurocer. āā drachmam i
Solut: succ. liquirit: unc. semis.
Bihorio cochlear majus.

Nihilominus mox mala symptomata recurrebant simulque signa narcoseos remedia omitti jubebant Cum sexto Julii die praeter anxietatem auctam e dyspnoeam conquerebatur de doloribus in regione ossi sacri trahentibus et de calore et plethora in organi genitalibus. Quia molimina menstrualia propter aegrotae aetatem suspicari poterant, ad interna extremitatum inferiorum latera sinapismi applicabantur et in medicina supra memorata nitrum cum tartari boraxati uncia dimidia mutabatur. Mox vero molimina menstrualia dyspnoea repellebantur; anxietas augebatur; noctu sudare coeperat. Digitati iterum adhibita propter magnam aegrotae ad narcosim proclivitatem non amplius uti licebat. Nunc tussis augebatur, saepius sputa, tuberculosis simillima, expectoratione removebantur, dum auscultatio in tota dextra pectoris parte respirationem puerilem praebebat, in sinistra vero susurrus respiratorius fere omnino non percipiendus erat et in dorso obscure tantum audiebatur. Ergo accipiebat:

Acid: hydrocyanici gutt duas
Aq: cerasorum uncias duas
Bihorio cochlear minus.

Ut aegrotae levamen aliquod afferretur, parva sanguinis copia ei detracta et vesicatorium perpetuum in regione cordis positum est. Nihilominus omnia frustra adhibebantur: emaciatio enim in dies augebatur; vires consumebantur, dyspnoea et anxietas ita crescebant, ut vix spiritum ducere posset. Brevi ne in dorso quidem quiescere poterat ob respirationis difficultates; et cum post aliquot dies in latere dextro non amplius jacere posset, erecto tantum corpore respirare poterat, neque ulla quies ejus anxietatem depellebat. Vix pauca verba proferebat, ne opium quidem eam leniebat. Respirationi adhuc breviori et frequentissimae, sudori in fronte frigido, animi deliquio, instabat tandem mors die tricesimo primo mensis Julii.

SECTIO CADAVERIS.

In cavo cranii nil abnorme apparuit. Thorax vero in media parte paullo elatior fuit. Sterno sublato pars anterior pleurae pulmonalis cum costali concreta visa est ita ut, nisi aperiendo thoracis cavo vim ad-

hibere, eoque aliquid destruere vellemus, partes anteriores costarum simul aufferri deberent. Cum partes internae nunc melius inspiciendae essent, planities interna pleurae costalis latis, condyloideis ex albo cinereis excrescentiis ita stipata se praebuit, ut primo cum pleura pulmonali ubique arcte conjuncta videretur. Sed costis repressis et pulmonibus ab illis remotis totam superficiem pleurae costalis internam illae pseudorganisationes obtexerunt, ita ut etiam in mediastina penetrarent; partim toti superficiei inferiori pleurae insederunt, partim pedunculis innisae esse visae sunt, magnitudinem a piso usque ad ovum columbinum variantem adaequarunt. In sinistro vero pleurae sacco numero superaverant eas, quae in dextro repertae sunt. Omnes magis latae et in superficie inaequales fuere, quod laciniatam fungi medullaris structuram incipientem in mentem duxit. Pluribus earum diversa directione dissectis albidum colorem et planitiem paullo aequalem paullo porosam ostenderunt. Si planum dissectum compresseris, fluidum coloris lacteo-grisei emanavit, quod si pressione intentiore omnino remotum esset, telam locularem sive porosam subtilissimam reliquit, in cujus interstitia fluidum illud a parietibus loculorum ipsorum secretum esse videbatur. Simul vero parietes loculorum in superficie fungi sitorum satis dense involucrum quoddam fungi piae matris consistentiae formaverant. Cum pulmones eximerentur,

superficies eorum maxima parte solida et satis compacta et exsudationibus fibrosis obtecta videbatur, excepta parte ad columnam vertebralem vergente, quae telam pulmonum incolumem proposuit.

Si pulmones secundum longitudinem dissecueras, superficiem eorum ab omnibus praeter posterius lateribus massa fungosa obtectam invenisti, in qua fungi singuli septis divisi non erant distinguendi. Vasa sanguifera in hoc fungo multa adesse color rosaceus totam fere massam penetrans satis ostendit. Pars fungi adhuc solida fuit et structuram locularem distinctam praebuit, etsi magna fluidi illius lactei copia sponte et sine pressione adhibita efflueret, aliis autem locis septa loculorum aut plane evanuerant aut premente fluido in loculos majore quantitate effuso ita distorsa et extenuata erant, ut minima perturbatione facta rumperent et contentum emitterent. Permagna pulmonum pars, normalis ne vestigia quidem inflammationis sive infiltrationis prae se tulit, sed ad spiritum ducendum aptissima visa est. Nusquam etiam substantia pulmonum normalis sensim in massam fungosam transiit, ubique autem alia finita aliam incipientem cognoveris.

Quae vero normalis pulmonis pars ipsa fungos continuit, avellanae fere magnitudinis, quorum involucra tantum telam locularem inflammatam, rarefactam, multis vasis intertextam et maxima parte instructam

tela medullari nondum resoluta habuerunt. Contentum fungi resolutum fluidum fuit squalidum, sanguine magis minusve tinctum, adipi simili tactu praeditum, quod paulo pulpae paullo puris consistentiam praebuit. Etsi vero fungi illi cum majoribus bronchiorum ramis communicare non viderentur, tamen plures evacuatae cavitates demonstraverunt, quomodo cum sputis, tuberculis similibus, se habuerit, quae in ultimis vitae diebus ejecit.

Reliqua thoracis et abdominis organa sicuti membrum amputatum omni abnormitate caruerunt.

EPICRISIS.

Fungum medullarem in aegra fibula adfuisse cuivis perspicuum est: quis vero locus primus ab illo correptus fuerit, num tela cellularis an periosteum an tela medullaris fibulae, ex accurata illa disquisitione post femur amputatum minime elucet. Ad rem quoque etiamsi perspexissemus, non pertineret. Scimus enim omnes illas telas pseudorganisatione corripi posse.

Alia quaestio est, quae ad causam fungi ipsius spectat. — Puella habitu scrophuloso praedita erat; — versabatur adhuc in puerili aetate. Cum vero ille fungus hanc aetatem, qua scrophulosis florere solet, frequentius infestet, causa praedisponens data quidem esset, dummodo causa occasionalis suffecisset ad illum gignendum. Contusionem perpessa est in illa cruris parte, in qua ante annum sine ullis causis efficientibus tumor quidam exortus erat mox sponte evanescens. Res vero tristissima, si talis contusio, qualem pueri centies perpetiuntur, illum morbum provocare valeret. Dyscrasia certe adesse debet, scrophulosi cognata fortasse ex illa genita, quam neque alterantia remedia neque fungus remotus tollere possunt, quamvis singuli casus descripti sint, ubi, fungo exstirpato aut membro aegro amputato, morbus sanatus esse videbatur.

Morbi decursus et disquisitio anatomica amputati femoris comprobavere priorem medicorum diagnosin. Tumor fuit mollis, elasticus, primum aequalis, postea nonnullis locis aliquid elevatus, donec veram fungi formam acquisiverit et tunc illum fluctuationis fallacem sensum praebuerit.

Illi vehementissimi dolores, quibus puella cruciabatur, cum fungus magnam amplitudinem jam nactus esset, verisimile ex pressis nervis oriebantur, qui cum

fungus minor adhuc esset, fere nulli, postea demum intrabant; qua re hoc quoque exemplo illa refutatur sententia, primariam fungi sedem in neurilemate quaerendam esse, quamquam ab altera parte negari non potest et neuromata existere et neurilema talibus pseudorganisationibus corripi posse, cujus rei aliud exemplum mihi notum est in viro juveni, qui per multos annos rheumatismo laboravit vago. Quum in genu dextro primum tumor albus ortus esset isque aptissimis remediis sanaretur, fere subito paresi medullae spinalis correptus, quam brevi tempore extremitatum inferiorum paralysis secuta est. Post mortem febri hectica adductam fungus in canali columnae vertebrarum duram et piam matrem obsidens inveniebatur.

Decursum morbi si spectamus, nullo modo a solito abhorret, quamvis memoratu est dignum, amputationem inter et puellae mortem spatium quinque mensium interjectum esse, quo bona valetudine frui videbatur, cachecticus ille status sensim disparebat, vires revertebantur. Quisque, cum ne vestigium quidem morbi florida puella praeberet, gaudebat bono amputationis successu minime suspicans, quae secutae sunt res.

Quaeritur, ubi materies illa morbosa hoc tempore sita fuerit, utrum metastasi ad pulmones translata, an

recens formata; quis claram reddat rem? Metastasis quaedam non statuenda esse videtur, etiamsi omnino tales exsistere negare nolimus. Maxime illa mihi placet opinio, scrophulosam materiam in systemate lymphatico peculiari modo elaboratam hic illic transferri, modo phthisin tuberculosam gignere, modo sub forma glandularum tumorum, exanthematum, ossium morborum sese ostendere et summum quasi fastigium in formandis fungis ascendere. Attamen bene intelligo, hancce opinionem parum lucis scientiae afferre; mihi persuasum habeo puellam, si fungo cutem perrumpente haemorrhagiis non statim mortua esset, tamen pulmonum aliorumve viscerum desorganisatione mortem obiisse ita, ut hoc in casu illi in pectore reperti fungi minime a metastasi deducendi, sed multo potius ad unum eundemque fontem reducendi sint. Fortasse aliquis dicat paullo post vulnus in amputato femore sanatum illam pectoris oppressionem et orthopnoeam ortam esse, quae itaque e suppressa secretione originem duxerint.

Si vero illos fungos post mortem in cavo pectoris repertos spectemus, de origine certiores nos reddunt, ii enim qui pleurae costali insidebant, et qui in pulmonum superficie frequenter nobis occurrebant, recentiores erant et veram fungi structuram locularem adhuc retinebant, alii vero et praecipue, qui profun-

diorem pulmonum substantiam infestabant, jam ulterius in resolutione progressi erant.

Fortuitò tantum vulneris cicatrisatio perfecta in idem tempus, quo pectoris morbi signa, cadit, cum verisimile non sit intra mensis spatium tot talesque fungos oriri potuisse, quorum plurimi jam emolliti erant: quamvis ab altera parte, vulnere sanato, et secretione materiae peccantis sublata, minime negare possimus: morbi decursum forte velociorem redditum esse. Puellam eo usque ne vestigium quidem morbi pectoris praebuisse ne mireris, cum magna pulmonum pars omnino sana fuerit et in aliis casibus saepius pulmones tuberculis obsiti reperiantur, quorum signa eodem modo te fugerunt.

VITA.

Maximilianus Laurentius Graeff, Coloniae Agrippinae die 12 m. Octobris a. 1810 patre *Joanne Guilelmo* matre e gente *Dirrichs,* natus religionem christianam secundum ecclesiae catholicae praecepta colo. Primis literarum rudimentis in domo paterna imbutus decenarius gymnasium, quod Duesseldorpii directoribus *Kortum* et *Brüggemann* t. t. florebat, adii, ibique per novem annos quae ad studia academica viam muniunt, literis operam navavi. Mense Octobri a. 1830 testimonio maturitatis instructus, Berolinum me contuli et seminarii medico-chirurgici Friderici-Guilelmani civibus adscriptus sum. Per quatuor annos praelectionibus Ill. virorum his intereram: Celeb. *Wolff* de hodegetice, logice,

et psychologia; Ill. *Link* de historia naturali, botanice et toxicologia; Celeb. *Turte* de physice, chemia et pharmacia; Beat. *Rudolphi* de osteologia, anatomia universa, anatomia foetus humani et organorum sensuum, in doctrina de entozois, de methodologia, medicinae atque encyclopaedia, denique de physiologia; Ill. *Schlemm* de splanchnologia, syndesmologia et anatomia chirurgica. In arte cadavera rite dissecandi Beat. *Rudolphi* una cum Ill. *Schlemm* me imbuerunt. Disserentes porro audivi Cel. *Eck* de physiologia; Ill. *Fr. Hufeland* de pathologia generali, semiotice, therapia tam generali quam speciali; Ill. *Horn* de pathologia speciali, et de morbis syphiliticis et psychicis; Ill. *Osann* et Ill. *Schultz* de materia medica et de fontibus medicatis; Beat. *Hermbstaedt* de chemia et pharmacia; Cel. *Casper* de arte formulas medicas concinnandi et de medicina forensi; Ill. *Kluge* de arte fascias imponendi, de ossium fracturis et luxationibus, de chirurgia generali, de arte obstetricia, de akiurgia; Ill. *Juengken* de chirurgia generali, de akiurgia et de ophthalmiatrice; — Cel. *Angelstein* de ophthalmiatrice; Ill. *Hecker* mihi Celsi de medicina libros et Hippocratis aphorismos interpre-

tatus est. — Exercitationibus clinicis medicis Ill. *Bartels*, Cel. *Wolff*, Ill. *Hufeland*, et Ill. *Osann* interfui; chirurgicis Ill. *Rust*; chirurgicis ophthalmiatricis Ill. *de Graefe*; ophthalmiatricis Ill. *Juengken*; interfui denique exercitationibus practicis ad medicinam forensem pertinentibus Ill. *Wagner*. Praeterea in schola veterinaria audivi Cel. *Gurlt* de zootomia; Cel. *Reckleben* de epizootiis et zoodiaete; Cel. *Naumann* de habitu et forma equorum; denique interfui clinico veterinario Cel. *Hertwig*.

Quibus studiis peractis et tentaminibus tum philosophico tum medico et examine rigoroso rite absolutis, in nosodochio caritatis Berolinensi munere medici inferioris fungi jussus sum, quo etiam nunc fungor. — Jam vero in eo sum, ut dissertatione thesibusque palam defensis, summi in medicina et chirurgia honores mihi concedantur.

THESES DEFENDENDAE.

1. Amputatione tantum vel exstirpatione fungi medullaris sola conservandae vitae spes quaerenda est.
2. Quae in febrium crisi excernuntur, non causam morbi sistunt, sed morbo efficiuntur.
3. Rheumatismum et catarrhum sede tantum differre contendo.
4. Non certa sunt graviditatis signa.